



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 63. Ladislaus seu Wladislaus Casimiri Filius ad Bohemiæ Regnum
nominatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. celebrata fuere, lætitiâ augmentibus
 A C. 1469. Wratislaviensibus, eoquod eundem in
 Silesiæ Principem reciperent. Tanta prosperitatum concursus haud probabatur Friderico Imperatori, qui cum inquietam Matthiæ indolem perspectam haberet, ne ipse auctoritate sibi concessa abuteretur, vehementer pertimescebat. Sub idem tempus, cum etiam Podiebracius, quem Sedes Apostolica Regno exuendum censebat, intra breve admodum tempus a Catholicis omnino derelictus, vix umbram Regii splendoris ultra servaret, Matthias Victorinum ejus filium in cacerem trudi jussit, ubi famis ac frigoris injuria pene consumptus, mala plurima perpeffus est.

§. LXIII.

*Ladislavus seu Vladislavus Casimiri
 Filius ad Bohemice Regnum
 nominatus.*

Rebus ita dispositis Imperator Matthiæ Regi infensus Podiebracium, & Bohemos, quos Matthiæ minus propensos noverat, studiose induxerat, ut Casimirum Poloniæ Regem ad acceptandam Bohemiæ coronam iteratis precibus urgerent. Podiebracius quoque eo consilio

lio suos in Poloniam decernit Legatos, sæcul. XV. A.C. 1469.
 quos Casimirus benigne excepit, ac de oblato Bohemiæ Regno grates rependens dimisit; Filium tamen suum natū majorem Ladislaum nomine, in Podiebracii Successorem nominari permisit, quinimo lætitiā inde conceptam haud dissimulare poterat; Verum potissima Polonici Senatus pars ejusmodi consiliis vehementer oblectatur, ac præcipue Episcopi hac de re acerbius indignati, graviterque conquesti sunt, quod Poloniæ Rex hæreticos Oratores excipere, sibi Religioni haud duxerit; Quinimo in suis Ecclesiis a Divinis cessare decreverant, quod præfati Oratores tum præsentēs adessent: Nec tamen præter ejusmodi poenæ comminationem quicquam ulterius tentabant Episcopi; Ast tota urbs per Cracoviensis Basilicæ Canonicos penitus divinis interdicta fuit, donec hi Legati civitate excederent; Cum autem Casimirus apud summum Pontificem in suspicionem venisset, ac si Podiebracii Sectæ faveret, aut forte omnino eandem profiteretur, fidei sui integritatem vindicabat, contendens, nihil se citra Sedis Apostolicæ mandatum in hoc negotio unquam egisse. Nihilominus Ladislaus Podiebracio in Regno Bohemiæ successerat.